

In diesem Bande fehlen die Schriften Nr 39-41.

21. Sep. 1955. Luchier.

Nr. Bo. 2.

59
0485
56

ACADEMIAE
IVLIAE CAROLINAE
PRORECTOR CVM SENATV
CIVIBVS SVIS
DIEM NATALEM CHRISTI
SANCTE CELEBRANDVM
COMMENDAT.

Subiectuntur animadversiones ad DAN. II, 27-45. in primis
de principiis romanorum communib[us] ad firmandam
tyrannidem inventis.
auctore Petrus

66.



HELMSTADII
LITERIS VIDVAE P. D. SCHNORRTI ACAD. TYPOGR.
M D C C L X X X I I I.



Natalem REGIS REGVM, DOMINI DOMINORVM,
colimus. Qualis ILLE rex factus sit, orbis terrarum
cum seculis procedentibus praedicat. Qualem autem futurum summi rerum Moderatoris providentia
constituerit, oraculis docemur, longe ante contextis
ac divulgatis, quam humano ingenio prospici poterant
temporum conversiones tantae, quas post evenisse nemo
historiarum gnarus nescit. Hodie, Cives carissimi, ea,
qua par est, religione visum istud memorabile attentius
contemplari decrevimus, quod per somnum regi Baby-
loniae divinitus objectum, nec sine nomine fuit explicatum
in libro, ex Chaldaea sine dubio allarum in Judaeam.
Librum dicimus, cuius antiquitatem scimus ab eo inde
aevi testatam, quum talia confagi proper intercedentes
cum christianis judaeorum invidias haudquam potuissent:
quem perverstum confirmari, non solum a Jose-

A 2

pho,

IV

pho, Christo, interprete Alexandrino, Ezechiele, constar, sed ab ipso Porphyrio, quippe qui sub Antiocho Epiphane compositum arguerit, quoniam consensum historiae mundi, qua nobis locupletiore aetas hujus viri utebatur, cum rebus adumbratis aptissimum animadvertisit. a) Itaque, quum eatenus historiae consentanea describi inimicum habeamus confidentem, an porro ultra Antiochum illae urbis sanctae iterum evertendae, ferrei imperii fragilibus evanib[us] innitentis frustaque connubiis principum firmandi, aliarumve conversionum, quas serius accidisse intelligimus, praedictiones accuratae convenient, nostrae jam erit aetatis indicare. Praeterea autem manifestissimum evidenter integratis argumentum praebent impressa libro babylonicae originis vestigia, sectiones nempe chaldaicas; utpote quas, perinde aique in commentariis Esdrae observatum cernitur, in suam dialectum convertere usi non sunt post redditum in patriam Judaei religiosiores, quamvis caetera utriusque voluminis oratio hebraice conscripta esset.

In illo igitur libro, longe ante Christum natum cognito apud omnes ac per vulgato, novum quoddam et post quaterniam dominationis vicitudinem postremum ac plare singulare imperium ab ipso DEO maximo, expressis verbis prohibetur, introducere nisi, idque ex surrecturum esse dicitur interea dum summa potestas pervenerit ad principes, quartum tyrannia locum in orbe terrarum occupaturos, et mixtum argillaceo ferreum imperii rorul connubis ferendis a ruina vindicare frusta annis. De connubis ad firmandam familiarum tyrannideque potentiam inventis postea. Nunc primum orationem vaticinii exhibemus, antipredictionibus, ubi necesse erit, illustram, quo suis cuique oculis cernere licet.

DAN.

a) Vid. Hieron. preoem. in Daniel.

DAN. II, 27-45.

„De re abscondita, o rex, percutiētari insti-
„tuisti, ad quam tibi aperiendam nec magorum aut
„astrologorum artes sufficerint, neque extricando-
rum hieroglyphicorum peritia valebit, nec divi-
„nationes augurum. DEVVM igitur, quem sidera
„praesentem manifestant, si quidem Hunc arcanis
„patefaciendis parem esse intelligimus, ultimorum
„temporum conversiones menti tuae praemonstra-
„re voluisse, scias. Quod enim ad somnium istud
„tuum visaque consopito objecta attinet, ita tibi
„accidisse recordaberis. Nempe meditabundus ob-
„dormiveras, futurorum eventuum casibus incer-
„tis anxie cum animo tuo volutis. Interea Is, quem
„arcanis patefaciendis parem esse intelligimus, fü-
„ra tibi portento quodam monstrare dignatus est.
„Neque tamen, quasi ego caeteris mortalibus divi-
„natione antecellerem, meo ipsius ingenio praesagi-
„tum, sed eum in finem divinitus mihi revelatum ac
„patefactum fuit hoc arcanum, ut ne sensus illius te-
„lateret, tuque animi tui cogitata rescisceres. Sci-
„licet statua tibi apparuit colossea; simulacrum,
„qua amplitudine, qua splendore augustum. Ad-
„versum tibi stetit. Vel solus adspectus terrorem
„incutiebat. Tene porro hanc simulacri tui descri-
„ptionem! Caput habuit ex auro praestantissimo
„conflatuin: ex argento armos cum brachiis: ex
„aere ventrem cum femoribus: crura denique ex
„ferro cusa; at pedes ex ferro et argilla mixtos.
„Deinde contuenti tibi saxeum fragmentum nulla

„hominum opera se avellere, et quatere, visum
 „est, pedes ex ferro et argilla mixtos, eosque at-
 „terere. Tum vero contracta pariter cernebas
 „ferrum, argillam, aesque, et argentum, atque
 „aurum, cunctaque in auras disjecta evanescere;
 „quemadmodum vento auferuntur paleae ex areis
 „aestivis. At Silex, quo concusa fuit statua,
 „Mons factus est maximus, b) super orbem terra-
 „rum undique sese expandens. Hactenus somni-
 „um, domine. Nunc porro sensum declarare nobis
 „liceat. De Regibus imperio tuo subjectis gloriaris,
 „rex magne; siquidem regnum tibi robustissimum
 „ac potentissimum et gloriosissimum gratificatus
 „est Ille caeli imperator, DEVS: regiones enim u-
 „bicunque terrarum, sive ab humana gente, sive
ab

b) Ex parvo maximam eva-
 ram fuisse illam DEI, Religi-
 onis ac MESSIAE POTEN-
 TIAM, quae augustinoris, ne-
 que humani aut terreni, sed
 divini celestis regni nomi-
 ne insigniri solet, variis ima-
 ginibus indicatum legimus: v.
 c. radicis aridae; (Jef. LIII, 2,
 XI, 1. coll. VI, 13.) monte in
 altum excrescentis; (Jef. II, 2.)
 lapidis, neglecti quidem a gen-
 te religionis conditricie, sed
 templo augustissimo funda-
 mentum utrinque praebituri,
 pro asyllo jacentes configuenti-
 bus, at quassaturi eum, in
 quemcunque ceciderit. (Jef.

VIII, 14. Pf. CXVIII, 22.
 Matth. XXI, 44.) Praeterea
 confugii seu asyli et protec-
 tonis notionem involvunt voca-
 bula, sublimitatem, arcem
 montanam, rupeis, denota-
 tia; unde non solum meta-
 phorice ecclesiam Christi, im-
 mo ipsum Christum, sed etiam
 vulgo DEVUM, tanquam
 proprio suo nomine, RUPEM
 dici, per familiare fuit hebrae-
 is. Pariterque totam poten-
 tiae divinae ac providentiae
 ditionem MONTEM ilium san-
 tum DEI vocant prophetae,
 (Jef. XI, 9.)

„ab agrestibus animantibus aeriusve alitis occu-
„patas, tuo permittens arbitrio, te omnino huic u-
„niversitati principem praefecit. Haec tenus quidem
„tu aurei capitis videris instar esse. At vero post
„fata tua aliud exsurget imperium, fatale prolis tuae
„exitium; c) itemque tertium imperium, et id aene-
„um,

c) Quin hic versiculus 39nus tri-
pli menda affectus laboret,
vix est quod dubites. Vocem
בְּנֵי primo loeo, nisi in
consonantibus, certe in voca-
libus, ex similitudine figurae
cum ultimo communis vocabulo corruptam, patique mo-
do alterum illud **בְּנֵי** a
praecedente linea profectum,
vel fugitus adspicitus doc-
bit. At enim iam codicem ha-
bemus adspiculanten, (nempe
Cantabrigiens. ap. Kennicott.
92. ab A.C. 1347.) in quo ple-
tonistica haec vox postrema
non appareat. Porro nota
marginalis librorum impref-
orum undecim codicibus con-
firmatur, **בְּנֵי** praferentibus
absque aleph. Illud autem
tam syri, quam chaldaic, ex
vaga scribendi consuetudine,
ideem valet, quod **בְּנֵי**, pro
hebr. **בָּנִים**, arab. **بَنِي**; unde
utroque modo scriptum ver-
bo hebraico **בְּנֵי** respondet a-
pud Targumistas. Hinc iam

cum nomine hebr. **בְּנֵי** com-
paratum **בְּנֵי** satis rudo versa-
terim casum fortius acciden-
tem, eventum fatale, malum
inprovisum. Atque hanc vim
per complures verbis conjugationes
nominumque formas a-
perte manifestat arabicas lin-
guas abundantias; praesertim
autem malum quodvis casu
fortius accidentis vocatur **אֲרַדְז**, quod chaldaice aliter
scribi nequit, quam aut **בְּנֵי**,
aut, ad evitandum ingratum
ejusdem litterae concursum,
ut vere legitur nostro loco,
בְּנֵי. Denique pro **בְּנֵי**,
inferto **בְּנִים**, substituendum
esse **בְּנִים**, codices persuadent
Kennicottiani circiter quinque-
cim. Hujus vero, non praefi-
positionis, sed nominis substantivii
satis aliquin usitati apud
hebreos, vim chaldaicam di-
alectus proxime chaldaicis co-
gnata syriaca retinet, quae
syriacem, sambianam, pregnan-
tem, praeponit eo vocabulo
dene.

um, quippe in vastos terrarum tractus dominaturum. Quartum exinde imperium ferri duritiem praferet; quid enim ferro non frangitur et contunditur? Ferri igitur instar ad qualandum facta ista omnia fracturum est et contritum. Quod autem pedes cum digitis partim ex singulari argilla, partim ex ferro constare animadvertisisti, imperium significatur dimidiatum, quippe aliquid ferrei roboris in se continens, quandoquidem ferrum limosa argilla commixtum apparuit. Nempe digitii pedum, hinc ferrei, illuc argillacei, imp-

tenet. Hactenus certiora proposuisse mihi videor. Nam quod regnum figurae babylonico inferius, quale in altum colossum quadrans non agnoscit historia mundi, id circa rationes philologicas fieri sentio. Quid? quod graecum ἡών apud Theodosiōnēm alio fortasse modo explicari potest; quanquam nunc potro dicenda ex genere minus certo esse fateor. Scilicet illud ~~τέλος~~ M^{ai} L^{et} X^{xi} ^{al} Chi- fiani cum multis aut ex marginali glossa, aut ex columnarum Hexapliarum permutatione ortum, et generam lectionem, putaverim, esse promuntiandam ἡών, tanquam *participium accusativum*. Esi enim vulgaria Lexica accusativam formam omittunt, ex-

empla tamen prostant. (vid. Biel. Nov. Thesaur. philolog.) Tum vero, (nisi ad analogiam verborum imperandi genitivum ab hellenistis usurpatum dixeris,) quia terminaciones compendiose scriptas frequentius librarii confundere solent, ex ΗΤΤΩΝΟΚΡΑΤ, pro ἡών οὐ, οὐ (regnum, quod te superabit,) factum fuisse crediderim ἡών οὐ (te inferius.) Ita quidem cum α- λεπ̄ legissent ἀρά; quam lectionem si quis praetulerit, ΑΡΑΝΑΜΙ (pastic. femin. benoni), eum vertere oportebit: "regnum sese oppositum familiæ tuae," (ex arab. conjug. g. se opposuit, obstatique alteri; quod cun accusativo personæ constitutur.)

„perium indicant, hinc robore, illinc fragilitate sua
 „in signe. Quodque limosa argilla commixtum vi-
 „disti ferrum, principes significantur connubii mi-
 „scendis arctius sese invicem ligaturi, sed neuti-
 „quam cohaesuri; ferri modo, scilicet, neutiquam
 „cum argilla in unam massam coalescentis. His au-
 „tem PRINCIPIBVS REGNANTIBVS Ille caeli Im-
 „perator, DEVS, imperium introducet haud
 „perinde seculis labentibus evertendum. Et hoc
 „ce d quidem IMPERIVM non relictum tradetur a-
 „lii populo: attrita de medio tollet reliqua ista im-
 „peria ad unum omnia: ipsum vero constabit in ae-
 „ternum. Quod denique saxeum fragmentum nul-
 „la humana opera de monte se avellere, et confrin-
 „gere, visum tibi est, ferrum, et aes, argillamque,
 „argentumque, et aurum; DEV M MAXIM V M,
 „rex magne, scias, tibi praemonstrasse rerum futu-
 „rarum eventa. Atqui ratum erit somnium; fidissi-
 „mam accepisti interpretationem. ”

B

Jam

a) Lectionem מלחמות, (cum be emphatico, neutiquam suffixo mappicato,) jam ex Biblio Commelin. (1599) et codd. ad Edit. J. H. Michaelis notatis firmam, amplius virginis codd. ap. Kennicott. comprobant, cum aleph emphatico legentes מלחמות. [-- Adeoque querer in hoc unico loco KENNICOTT I vix dum defuncti industria mihi quidem exumi-

am attulisse utilitatem gratius praedico. Quare, ut repetundarum injussiōnālē criminatōnē tandem mors delevit, postquam ex lautissimis numerū redditib⁹, parciſſime prospectū ſuissē compērītus familiāe ipsius, sic ferreā diligentiae fructus uberrimos in posteritatē redundaturos esse confidimus. Itaque molliter offa cubent;]

X

Iam vero Nabuchodonosori ingenio allegoricam
hancce et quasi hieroglyphicis signis expressam mundanae ty-
rannidis imaginem apprime convenisse, farebitur, quis-
quis consideraverit, quanta fuisse animi impotentia opor-
teat eum, cuius superbia nonnisi dementia ad tempus in-
ficta corrigi potuit, quem cum DEI MAXIMI contem-
tione aureum colossum a se exstructum gentibus adoran-
dum proposuisse, et in condita suis auspiciis urbe impera-
trice insigniter gloriatum esse, memoria proditum legi-
mus. Ille, postquam mari praevaleat Tyrum expu-
gnavit, terrestre imperio potentes Aegyptios in suam
potestatem rededit, (nam de subiecta Iberia e) admodum
dubito, neque fabulosarum expeditionum, quae ante
hunc regem factae commemorantur, rationem haberi a
Daniele arbitror,) princeps terrarum maximus erat, et
ipse sibi AVREVM humanae potentiae CAPUT videbatur.
Tali igitur viro, quippe ad omnia captanda priori,
monstrosum portentum, inferioribus partibus a splendi-
do cacumine paullatim degenerans, fragilis innitens
fularis, moxque ex improviso contritum, hinc *omnis*
humanae excelitatis vanitatem, f) illinc et superstitionum
futilitatem, et reverentiam inculcabit summo rerum Ar-
bitrio debitam, cuius *praesentissimum numen* ex patefactis
nocturnae solitudinis meditationibus, quarum recordati-
onem anxie eo tempore moliebatur, non potuit non col-
ligere.

Quae quum ita sint, an DEO dignum fuisset, pol-
licendo familiae vel genii illius imperio diuturno fastum
adulari aut insolentiam alere hominis arrogantisimi, judi-
cent hi, qui ad successores ejus totam portenti vim tra-
hant.

e) Quod ex Megasthene retulit i. sect. 20.

Josephus contra Apionem. l. f) Conf. Jes. XL, 5-8.

hunt. At vero ex istis primus, filius Nabuchodonosori, a sororis marito occisus, ne biennium quidem explevit; alter non ultra quatuor annos imperio praefuit; tertius, quem adhuc puer esset, novem tantum mensibus titulum regis gessit, moxque a populo interfectus est; quartus denique, et is nepos Nabuchodonosori, post septendecim annorum principatum, quem molli vita enervavit potius, quam ferreum reddidit, inter vinum et crapulam ignominiose trucidatus est. g) *Pumiliones* hujusmodi giganteo habitu ornatos a sacro vate in ista imagine effingi, nemo mihi facile persuadebit. Neque etiam singulorum principum imperia, sed *populorum* de principatu contendentium *fata futura* praedici, tribus potissimum argumentis effici potest. Nam primum expressam deprehendimus futurarum vicissitudinum mentionem. Deinde temporum conversiones ad arbitrium DEI referandas sibi praemonstrari differit verbis Daniel testatus est. (v. 21.) Postremo, quod augustinissimum illud regnum, sub ferreo demum imperio exoriturum, *alii populo* non traditum iri dicitur, id omnino ita intelligendum erit, ut quaterna ista, quae prius descripta sunt, *principatum* significavent, *ad alios subinde populos* permutatis vicibus *transmis- grateturum*.

Certe *Josephus*, h) quoniam capite aureo eos simul indicari moneret, qui ante Nabuchodonosorum regnarent,

B 2

sent,

g) Id. l.c. ex *Beroe*.

h) Ant. jud. l. X. c. 10. §. 4. - Hieronymi commentatio (ad verba: *Et ipse mutat tempora et actates, et trans fert regna atque constituit;*) eodem ten dit: „Non ergo miremur, in-

„quit, si quando cernimus et regibus reges et regnis regna succedere; quae DEI gubernantis et mutantur et finiuntur arbitrio. Caussaque singularum novit Ille, qui Conditor omnium est; et saepe

XII

sent, *collective* locum nostrum interpretandum esse perspexit. Etenim principem regno privari hebraei dicunt, *familiam* intelligentes a successionē excludendam. (Ita Dan. IV, 28. coll. i Sam. XV, 23.) Idem, justo argutius singulas magnificaē picturae lineas ad vivum resecans, binis brachiis ostendi credit *reges binos* imperium babylonicum everfuros. (Darium Medium, puta, et Cyrum Persam.) Porro *aeneis armis indutum* principem, ait, *ab occidente* ad destruendam horum potentiam accitum iri. (Alexandrum in animo habuisse, qui principatum Graecis vindicabat, dubio caret.) Qum autem, *ferrei imperii* mentione injecta, *argillam* de industria praeteriri appareat, *Romanos*, quorum nō offenderet animos i) curae illi fuit, ab eo intelligi patet. Interea *saxo* rem *praemonstrari*, contendit, *suo* quidem *tempore adhuc futuram*.

Quodsi igitur *populos* vaticinium ostendit, *ab illo inde tempore*, quo sibi aureum caput mundi visus est Nabuchodonosorus, *de principatu orbis terrarum certatus*, eosque prius summa potestate potitus, quam exortum fuerit regnum aliquod omnium augustissimum, cuius pleniorē descriptionem idem Daniel, optimus vaticiniorum suorum interpres, alio loco (VII, 13. sq.) suppeditavit; *in iis profecto regionibus*, quae manifestationem divinae providentiae insignorem re vera abhinc expertae sunt, ex populis memorabilioribus tam stricte Chaldaeis Perfas, (Me-

„malos reges patitur suscitari,
„ut mali malos puniant: si-
„mulque subfendent et gene-
„rali disputatione praeparat
„auditorem, sonnium, quod
„vidit, esse de mutatione et
„successione regnorū.”
i) Similem circumspictionem,

sine adulacione tamen, a Paulo eis exhibitan dicent, qui 2 Thess II, 6 sq. remorā subnacentis hierarchiae tyrannidem principemque in urbe praesentem intelligunt, cuius nunquam fractum iici potestatem superfluiō credebatur,

(Medis coniunctos,) his Graecos, istis denique Romanos,
videmus, alteros alteris successisse, ut jam *paucis ante
Chrifum natum annis* historici scientissimi ordinem illum
sedulo annotaverint. Ita in ipso archaeologiae romanae
proemio *Dionysius Halicarnassensis*, k) cuius verba (ex
versione Gelenio Sylburgiana) huc transcribemus: „Si
„quis mentem adhibeat, inquit, ad prifica tam civitatum
„quam gentium imperia majorum monumenta produa, ac
„singulatim quodque consideret, et inter se collata dili-
„genter examiner, quoniam eorum sibi dominium am-
„plissimum paraverit, et res bello ac pace clarissimas gef-
„serit, videbit, romanum imperium longo intervallo post
„se reliquise caetera, quorum haec tenus exsistit memoria;
„non solum, si species amplitudinem dominii pulchritudi-
„nemque rerum gestarum, verum etiam, quod ad diutur-
„nitatem ejus attinet, extensam usque ad nostrum hoc se-
„culum. Nam antiquum illud *Affyrorum imperium*, re-
„tro ad fabulosa usque pertingens tempora, modicam
„quandam *Afiae partem* obtinuit. (Deinde in Medos trans-
„latum, et auctum etiam opibus, non longo duravit tem-
„pore, sed in quarta aetate desit.) *Perſie* porro, Medis
„devictis, *Aſia* quidem pacem tota patiti sunt; caeterum,
„Europaeas etiam gentes bello tentare ausi, non multum
„profecerant, nec multum ultra ducentos annos permane-
„runt in rerum fastigio. At *Macedonum potentia*, post op-
„presias opes perficas, imperii quidem amplitudine supera-
„vit omnes, quotquot ante fuerant; tempore vero nec
„ipsa longe floruit, sed mox ab Alexandri obitu coepit
„fieri deterior; distracta enim in multos principes, statim

B 3

ab

k) Locum istum, post alios,
Thomas Newton cum oraculo
Danielis comparavit in egre-
gio opere, quod scripsit de va-

ticiniis insigni complemento
approbatissimis continueque praedi-
cto respondentibus. Diff. XIV.

XIV

ab ejus successoribus; et post illos ad alteram tertiamve
 aetatem progressa, per se ipsa facta est debilis, ac posse
 Romanis armis jublata est e medio. Nec ipsa tamen to-
 tam terram ac mare coegit imperata facere: nam nec
 Africam late patentem subegit, nisi qua Aegypto est
 contigua; nec Europam totam perdomuit, sed ad se-
 ptentriones in ea non processit ultra terram Thraciam,
 ad occidentem nulla est mari adriatico. Atque haec sunt
 celebratissima ad nostram usque aetatem imperia, et haec
 eorum diurnitas atque potentia. (Nam Graecorum im-
 peria his nequam conferenda sunt, nec ditionis ma-
 gnitudine, nec diurnitate temporis.) At Romanorum
 civitas imperat per cunctas terras plagas, quae quidem
 inaccessae non sunt, sed habitantur ab hominibus, toto
 mari dominatur, non solum intra columnas Hercu-
 lis, verum etiam oceano, quacunque est navigabilis; prima-
 que et sola in omni huminum memoria ortum et occa-
 sum terminos imperii sui posuit. Tempus quoque ejus po-
 tentiae non breve, sed diutinus, quam ulli vel regno vel
 reipublicae obtigit. Statim enim, ex quo primum est
 condita, propinquas gentes multas et bellicosas sibi ad-
 junxit, atque in subjugandis adversariis omnibus in dies
 progressus fecit. Quod tempus jam annorum est septen-
 gentorum quadragesima quinque. Ex quo autem, totius
 Italiae potita dominio, ausa est orbis imperium sibi sume-
 re, exturbatis e mari Cartaginensibus, quorum navales
 opes fuerant maxime, subjugataque Macedonia, quae ad
 id temporis terrestribus copiis plurimum pollere vide-
 batur, nulla amplius gente, non graeca, contendente de
 principatu, septimam jam aetatem dominium omnibus in
 terris obtinet; nec est ulla gens, quae non agnoscat univer-
 sorum dominiam, aut detrectet ejus imperium. 22

Verum

Verum enimvero ultra istud tempus, a Dionysio computatum, nova tyrannidis specie induitus, quamvis ad fragilitatem in dies magis magisque vergens, ultra quadringentos annos perduravit principatus ille Romanorum; adeoque mille et ducentis amplius annis, donec ab ab Herulis concuti coepit, colossum talis suis insistentem sera posteritas mirata est. Quid? quod, sanctitatis exinde larvam obtendens, horribile spectrum ne tum quidem corruit; et, si nominis vim attendas, adhuc perfstare dixeris. I) Itaque, quum in explicanda ferrea natura copiosior fuerit Daniel, populum diuturnitate imperii et injuriis inferendis reliquos antecellentem, quem alio loco binis tantum verbis fortē illum ac bellicosum m) vocat, tam distincte descriptum fistis, ut confundi cum caeteris nequeat. Nam licet minutissimarum partium vim in iudicandis imaginibus tenaciter persequi nollemus, (quoniam splendida Perfarum opulentiam commode argento, et temperatam mollitatem alacritatem Graecorum haud inepte metallis mediis comparaveris,) tamen induratam laboribus n) pertinaciam ac latius gentibus insultantem vim Roma-

- I) Vid. Michaelis not. ad versiōnem hujus loci. - - In hunc fere modum omnīs contra religionem Christi exurgens potentia, tam civilis ita ab utraque urbe septicollis (Roma et Constantinopoli) profecta, quam illa sanctitatis flamen mentita, quasi hydra que-
dam aut draco a prophetis figurarum amantioribus (Danielē et Johanne) depingi, hypocriticoque habitu induita, antichristi nomine notari mihi videtur.]

m) מִלְחָמָה (מַלְכָה) Dan. IX, 26.

n) Hinc Eumenem, Pergami regem, memoria proditum est, ideo conjunctionem cum Antiocho Syro detrectasse, quia bellum, praeviderit, initio quidem pari fortuna gestum iri, tempore autem procedente principes fore Romanos. Διαβολός νεψ ταλαιπωρεύεται, „propter fortitudinem animi et „molestiarum ferendarum per severantiam.“ APPIAN. ALEX. de bell. syr. ed. Toll. p. 148.

manorum de industria clarioribus luminibus collustratas esse
apparet. Sed novo praeterea criterio populum romanum distinguit, periodumque diligentius praemonstrat ty-
rannidis ad potentes familias transiturae, ex quo fragili ma-
teria mixtum durissimi imperii robur connubiiis affinitatibus
que miscendis continere allaboraturos esse, afferit, optimates.
Etenim Roma, expugnatis atque eversis urbibus fortitudine,
navigatione, opulentia clarissimis, Carthagine, Cor-
rintbo, Numantia, ferreum jam robur nacta, terra marique
principatum tenens, interea dum Syriam Aegyptumque,
tanquam postrema graecas tyrannidis rudera, suis provin-
ciis annumerat, exsurgentem principum virorum domina-
tionem perhorrescere cogitur. Frustra legibus agrariis crescentem civicam insolentiam retundere ausi sunt
tribuni. Proconsularis rapacitas a provinciis in urbem
contorqueretur. Ex imperatoribus militibusque subiro
sunt domini, ex vitoribus tyranni. Imperium exercitibus
praetorianisque cohortibus sustentatum atque horum
identidem arbitrio dispositum ferream ac duram in ipsum
senatum et populum romanum vim exercere coepit. Ex-
inde hinc malis intestinis, frequentibus servorum, gladiato-
rum, militum seditionibus, bellis civilibus atrocissi-
mis, caedibus principum saevorum jussu impune perpe-
tratis, atteri quotidie cerneret rem publicam; illinc lace-
fatis ab omni parte gentibus vellicari, rapi, scindi pro-
vincias: imperium inter binos vel ternos plures dominos
subinde dispergiti; mox prorsus DIMIDIATVM fa-
taliter discripti in duas lacinias; tandem misere enervatum
et infractum confluenti a septentrionibus barbarorum mul-
titudini in praedam cedere. Atque per totum boce cre-
scentis ac deerescientis novae tyrannidis spatium, interea
dum augustioris in gentes universas dominationis initia RELI-
GIO capessret, singulare quoddam appetitum principum
studium, connubiiis affinitatibusque neclendis imperii sui po-
tentia-

tentiam corroborandi. Quae res quo magis fuit singularis
ac memorabilis, eo nunc diligentius nobis persequenda
est et exemplis illustranda.

Quanquam enim, apud omnes populos et in nullo
non regno id uia evenisse, nemo insistas ibit, ut matri-
moniis pangendis arctius sese invicem conjungere stude-
rent familiae potentum; tamen hoc singulari quodam
modo eo tempore, quod notis perquam manifestis a Danie-
le distinctum est, inter Romanos factum fuisse, er quidem
cum frequenti divertio ac raptu gravidarum, historia com-
probata documentis luculentissimis. Ita Sullam, videmus,
ex quo dictaturam invasit, statim cum uxore Metella
consilium inire de trahendo in suas partes Pompejo, atque
huic persuadere, ut, expulsa crudeliter Antifilia, in matri-
monium duceret priviganam dictatoris Aemiliam, Scau-
to natam ex Metella, quamvis jam viro nuptam ac gravi-
dam o). Idem Pompejus, postquam Mutiam, adulterii nomi-
ne suspectam, repudiavit, quem Caronem forti animo in
senatu ambitionibus suis molitionibus sese objicere sensisset,
ut tanti viri sibi conciliaret amicitiam, ex neptibus Catovi-
vis, quas forte nubiles habebat binas, sibi alteram petiit,
alteram filio. p) Spretam Magni Pompeji affinitatem con-
jux cum sorore aegre tulisse dicuntur. Postea Casar
consulatu potitus adjuvantibus Crasso ac Pompejo, quo
C fe

o) Plutarch. in Pompejo. edit.
Francof. 1599. fol. T. I. pag.
623.

p) Plut. in Pomp. p. 641. sq. II.
in Catone min. p. 773. sq.
Quum per Munatium famili-
arem hanc sibi gratiam a Ca-
tone petiit, respondens Cato:
„Abi, inquit, Munati, abi et

„dic Pompejo, Catonem vin-
„ci non posse per feminas,
„quangam bene sibi cupi in
„votis habeat, et recte agenti
„amicitiam exhibiturus sit ne-
„cessitudine omni firmorem.
„nolle autem obfides con-
„tra patriam objicere gloriae
„Pompeji. „

XVIII

se penitus insinuaret in hujus potentiam, praeter omnium exspectationem Pompejo filiam collocavit Julianam, iam sponsam atque intra paucos dies nupturam Servilio Caepioni; isti autem, ad demulcendum dolorum justissimum, pollicentur filiam Pompeji, eamque pariter jam despontam parentis affini, Fausto Sullae filio. Ipse Caesar, qui olim Corneliam Cinnae filiam q), deinde Pompejam, Q. Pompeji filiam, Sullae neptem i), pari studio sibi adjunxerat, quippe ex necessitudine cum Mario s) triumviratum spiritum zemulus, nunc Calpurniam Pisonis dicit in matrimonium, consulesque in proximum annum creat sacerum: suum et generi sui adulatorem maximum Gabinium. Atque triplex ista ad evertendam rem publicam inventa politiarum nuptiarum conspiratitam aperto fraude indicio fuit confitata, ut viciementer intercedens Cato clamaret: rem esse plane non tolerabilem, quod CONNUBIORVM LENOCINIIS IMPERIVM COLLOCARI (διαμαζεσπενδον.) cooperit, et per mulieres se se mutuo ad praefiduras, exercitus, imperia audierent introducere. Statimque, initis bisce nuptiis, urbem et forum armis militibusque implevit Pompejus, leges Caesaris populo approbaturus, et socio futurae tyrannidis materiam, Gallias atque Illyricum comparavit cum quatuor legionibus in quinquennium, ex suo arbitrio omnem rem publicam dispensans. i) Postea vero, quum, consernata

q) Plut. in Caesare, pag. 707.

i) Sueton. in Caes. c. 6.

s) Plut. in Mario, p. 408; in Caes. p. 709.

t) Plut. in Caes. p. 714 in Pomp. p. 664. Ex priori loco verba Attiani Alex. a quo Plutar- chius, Polybius aliasque

saepius exscribi notum est, o-
mnino corrigi oportebit, de
Bell. civil. I. II. p. m. 720.
Πλουτίον τέτταν την Στρατι-
κή, ΚΑ περ --- Οὐρα --- ΤΩΝ
ΙΙΙΩΝ. (In editione Tolliana
veritatur:.. Pompejus colloca-
avit filiam, quamvis jam an-
te

nata admodum civitate, senatus *unum Consulem*, nominatimque *Cneum Pompejum*, fieri contuisset, dirematis Julianae obitu istis vinculis, iterum cum duplii divorcio Caesar, ad retinendam Pompeji necessitudinem ac voluntatem, Octaviam, sororis suae neptem, quae C. Marcello nupta erat, conditione ei detulit, sib que filiam ejus in matrimonium pettit, Fausto Sallae definitam. u) Abhinc impudentius in matrimonii civium licetandis grassari coepit, quem ex sororum nepotibus Caesar filii loco adoptatum heredem ex dordrante et in principatu successorem reliquit, *Octavius Augustus*. v) Ille enim non solum ipsi, (neglecta, quam adolescentis coluerat, priore sponte, repudiata quoque privigna Antonii, quae, postulantibus utriusque militibus, ad conciliandam necessitudinem mutuam vixdum nubilis ei ducenda fuit,) formae illecebris captus, enixa jam filium apud maritum, tunc autem iterum gravidam, *Liviam Drusillam* viro subripuit suisque raptam penatibus induxit, w) sed eriam natum ex hac privignum Tiberium reluctanter adegit, ut expelleret conjugem unice dilectionem, sublatu jam ex ea filio, et confessim duceret istam ipsi patri derestamat x), vitrici filiam Julianam, propter mores parum sibi probaram. y) Atque eodem partium suorum firmandarum studio *Augustus*, tanquam reconciliationis ac parti inter triumviro imperii romani obsidem, sorem peramatam *Octaviam*, acclamantibus legionibus, de-

C 2

spon-

te concordi „) Verae lectio-
nis vestigia grandiusculis litte-
ris notavi, minusculis signis
expressas in codice *detrito* ex
ingenio suppletas a librario di-
xerim, et scribendum suisse:
την θυγατέρα καθεωρογυαθήν την
Καστλίν, „Pompejo junxit fili-
,am desponsam CAEPIONI.

u) *Sueton.* in Caef. c. 25-27.v) *Sueton.* Caef. c. 83 Aug.
c. 4.w) *Tacti Annal.* V, 1. § 3. *Sueton.* in Aug. c. 62. in Tiber.
c. 4.x) *Sueton.* in Aug. c. 65.y) *Sueton.* in Tiber. c. 7.

xx

spondit *Antonio*, z) postea ab hoc propter nuptias reginae repudiatam; aa) iterumque natam ex sorore Marcellam filio *Antonii* junxit. bb)

Deleta cum Nerone Caesarum progenie cc) nomen imperatricis familiae affectari et adoptionis titulo, successio principatus, quasi filiis, tradi coepit est. Flavia stirpe in altero filio extincta, ab Umbro Nerva adoptatum *Trajanum Hispanum Hadrianus confessorinus*, illius nepte per sororem uxore accepta, favente conjuge *Trajani Plotina*, dd) in imperio fecutus est. Is autem insigniori exemplo familiarium operose a se adoptatam confirmare in imperio studuit. Nam defuncto, quem, ex Cejonio Commodo Aelium Verum Caesarem appellans, invitis omnibus primum adopraverat, deinde *Antonium Pium* sibi filium et successorem ea denum lege adscivit, ut hic educatur in gremio Hadriani *Marcum* illum *Philosophum*, duodevigineti tunc temporis annos natum, cuius amitam *Pius* in matrimonio habebat, Marcus autem pariter istius defuncti *Caesaris* filium *Verum* adoptaret, atque filia *Pii* desponderetur Vero, non Marco. Interea post obitum Hadriani statim *Philosopho amita*, marito consciente, dissolutis sponsalibus a conditore gentis adoptitiae pactis, filiam obtulit; contra ea Marcus, diviso inter duos *Augustos* imperio, filium illum ex adoptione suum jamque potestatis imperatoriae consortem novis vinculis sibi alligavit, filiam Vero

- z) Plut. in Anton. p. 929. Ap-
pian. Alex. Bell. civ. I. V. p.
m. 1126.
- aa) Plut. in Ant. p. 940. Liv. e-
pitom. I. CXXXII. Oros. His-
toriar. I. VI. c. 19.
- bb) Bayle Dicq. hist. et crit. art.
- Antoine (Marc Jules.)
cc) Suet. in Galb. c. I. Oros. I.
VII. c. 7.
- dd) Ad. Spartian. in Hadrian.
(Historiae Augustae Scripto-
res, ed. Salmer.) pag. 2. Oros.
I. VII. c. 13.

Vero collocans. ee)

Sed Iuculentiori adhuc, *maximeque omniū*, quae
unquam in hoc genere litteris prodiū legitimū, *memorā-*
bili documento studiū studiū principiū romanorū, fra-
gile imperiū robur affinitatiū miscendis a ruina vindicen-
di, comprobatur nuptiis a Diocletiano ad sū mandam potentia-
m̄ jamjam periclitantem callidissimo consilio inventis. Et
enī, nutante jam re publica, paulo ante, quam summa im-
periū Byzantium transferretur, quād Bagaudarū latroci-
niis infestatas Gallias, Carausii seditione turbatam Britan-
niam, Aegyptum Achilleo, Africam Pentapolitanis ve-
xatam, Persis invasum Orientem, vel binorum princi-
pium vires conjunctas superare animadvertisset atque *in-*
ter quatuor principes orbem romanum dividendum censu-
set, Diocletianus, tot tantisque periculis commotus, non
solum virum ruspicanum, Herculium, ex Caesare Augu-
stum, simulque educatum inter armenta Dacum Galerium
et Constantium Caesares nuncupavit, verum etiam pro-

C 3 crea-

ee) Spartiam in Hadrian. p. ii sq.
Id in Ael. Vero. p. 16. Jul. Capitolin. in Antonini. Philos. p.
23-26. (pag. 24 cum Salmasio, codicis Palatini auctoritate,
et cum mutato in eum, sic
videtur legendum: Post ex-
cessum Hadriani statim Pius
per uxoriū suam Marcum
se scitatus est, ei evm, disso-
luit sponsalibus, quae cum
Lucio Commodo desiderandi vo-
luerat, IMPARI aikue AE-
TATE, habita deliberatione,
velle se dixit. h.e. Pius, quan-
quam sponsalia cum Lucio

Vero ex mandato Hadriani
pacta approbatet, quia hic
nondam ad maturitatem per-
venērit, deliberato cum uxore
consilio, eum [sc. Marcus] I
sibi dixit genetum se cupere, -
pag. 25. ita lectionem restitu-
oportere crediderim: Tunc
que primū romanū imperiū
duo Augusti habere coe-
pit, QVVM SIBI RELICTUM
[sc. Marcus] cum alto parti-
cipasset. [Majusculis litteris
notata in codicibus desideran-
tur; ex atriu, in fallor.] CE
Id, in Vero, p. 35.

*creatam ex se Galerio, privignam Herculi Constantio, pri-
ribus conjugibus repudiatis, affinitatis politicae concilian-
dae grata ducendas obtrusit. f)*

Atque intra hoc annorum circiter trecentorum spati-
um, tam insigni affinitatum politicarum operose concili-
andarum studio memorabile, quum caeteri, quorum eoz
rum principatum ex istis familiaum pactionibus fortifi-
ciora sunt, maximam partem tumultu acceptam potesta-
tem seditionibus iterum amitterent, natum ac fundatum,
tanquam ex improviso, in animos romani populi domina-
ri coepit *imperium Religionis Christianae* tanta vi, ut vel
civilibus tantum rationibus inducti principes opine sibi
consuluerint, doctrinam adoptantes populari praesidio
raunitam. Quidam quis nunc, sive poeta sive pictor,
omnem historiam inde a Nabuchodonosoro ad Constan-
tini vel Honori usque aetatem uno obtutu comple-
tens, allegorica quadam imagine *suum* *tyrannidis huma-
nae expressurus*, taigam nobis *colossum*, bis signis *di-
stinctum*, adumbraret, vix dubito, quin ille peritissimo cui-
que *allegoricorum pictorum aëstimatori*, (modo ad tem-
pus oblitus fuerit, sacrae scripture hanc esse inventio-
nem,) egregie et veritatem ei *artem ingeniosæ fictionis*
approbatus sit. Ergo quod *ante descriptus* fuit ille
temporum status, id, donec aequi simus judices, nec ve-
ritati nec fictionis elegantiae opprobrio verti poterat, sed
auctorem manifesto prodit, *qui longe ante Caesarem na-
tum*

f) Eutrop. l. IX. c. 22. Sext.
Aur. Victor, de Caesariis.
c. 39. Oros. l. VII. c. 25. De
filia Herculi Constantino, hu-
jusque fratre Licinio nupta,
nihil attinet dicere. Exem-

pla conjugorum serius asse-
ctorum inter imperatores
occidentales et orientales di-
ligenter ab Helvico collecta
existant apud Calov. Bibl. il-
lustr. ad h.l.

tum ista principis remunerorum consilia politica et omnes
illas temporum cervisculis ea Constantini Honorique us-
que aetatem uno cunctiu[m] praeviderit tanquam rem prae-
sentem.

Ex quo autem fragilitatem romanii imperii vanissi-
mis coniubiorum miscendorum studiis perspectam dedit
ILLE caelestium terranarumque vicissitudinum Moderator,
DEVS, augustior h[oc]e, quam interea oriri jussit, Reli-
gionis potentia, non ita, ut quaternarius iste principatus,
qui praecessit, ab una gente ad aliam transfertur, sed lin-
guis ac moribus et ingenio separatos populos per totum telu-
ris tractum in magnam aliquam familiam DEO ipsi cae-
loque conjunctissimam copulat. An vero Regnum hocce
DEI caeleste, cuius originibus consecrata solennia cum
crastina luce celebratura est Ecclesia Christi, statum rerum
fortunatiorem, quam qui fuerat ante, orbi terrorum at-
tulerit, illud quidem, Cives carissimi, non ab nostre[m] me-
moriae historicis aut philosophis, hisque interdum parum
justis bonorum suorum auctoribus, nec raro retum
gestarum rationes ac statim ex frivola ingenii petulantia
fingentibus, sed ab historico doceri juvet, vix seculo post,
quam publica auctoritate caput exicit Religio Nazareni,
et eo ipso tempore, quam jam dominicatum cernereatur
imperium Quiritium, coram orbe romano novam aevi
sui felicitatem talibus verbis praedicante, quae pesto-
ris sensa et veri impressa vestigia referunt. **P A V L**
L V M itaque o[ro]si v[er]o scriptorem audiamus, bi-
fforiarum libro quinto gg) differentem in huic mo-
dum :

Olim, inquit, quam bella toto orbe seruebant, que-

gg) Cap. I et 2.

que provincia suis regibus, suis legibus, suis moribus ute-
batur: nec erat societas affectionum, ubi dissidebat diversitas
potestatum. Postremo solitas et barbaras gentes quis tandem
ad societatem adduceret, quas diversis sacrorum ritibus in-
stitutas etiam religio separabat? Si quis igitur tunc, acerbi-
tate malorum, patriam cum hoste deseruit, quem tandem i-
gnotum locum ignorans adiit? quam gentem generaliter ho-
stem hostis oravit? cui se congressi primo creditit, non so-
ciate noniniis invitatus, non communione juris adductus,
non religionis unitate securus? - Et ne antiquitatibus vi-
dear immorari, testis est Roma de Pompejo interfecto, testis
Aegyptus de interfectore Ptolemaeo. Mibi autem prima qua-
discunque motus perturbatione fugienti, quia de confugiendi
statione securi, ubique patria, ubique lex et religio mea est.
Quoniam me Africa tam liberter exceptit, quam confidenter ac-
ceperit. Nunc me, inquam, ista Africa exceptit pace simplici,
fatu proprio, jure communi, de qua aliquando dictum, et ve-
re dictum est:

--- hospitio prohibemur arenas;
Bella carent, primaque vetant confistere terra.

munc ultra ad suscipiendos socios religionis et pacis suae bene-
volium late gremium pandit, atque ultra fessos, quos foreat,
invitat. Latitudo orientis, septentrionis copiofas, meridia-
na diffusio, magnarum insularum largissimae tutissimaeque
fides, mei juris et nominis sunt; quia ad christianos et ro-
manos romanus et christianus accedo. Non timo deos ho-
spitis mei, non timeo religionem ejus nece mea: non habeo
talem, quem pertimescam, locum, ubi et possessori licet per-
petrare, quod velit; et peregrino non licet adhibere, quod
convenit, ubi sit jus hospitis, quod meum non sit. Unus
DEVS, qui temporibus, quibus invocescere voluit, banc re-
gni statuit unitatem, ab omnibus et diligitur et timetur.

Eas-

XXV

Eadem leges, quae uni D E O subjectae sunt, ubique dominantur. Vbicunque ignotus accessero, repentinam vim, tanquam desitutus, non pertimesco. Inter romanos, ut dixi, romanus, inter christianos christianus, inter homines homo, legibus imploro rem publicam, religione conscientiam, communione naturam.

P. P. HELMSTADII D. XXIV DECEMBRES
CICIOGCLXXXIII.



D

1500

Fd 5611

ULB Halle
002 715 18X


3



PA 30C

VD 17

NC





ACADEMIAE
IVLIAE CAROLINAE
PRORECTOR CVM SENATV
CIVIBVS SVIS.
DIEM NATALEM CHRISTI
SANCTE CELEBRANDVM
COMMENDAT.

Subiectuntur animadversiones ad D. N. II, 27-45. in primis
de principum romanorum coniunctiis ad firmandam
tyrannidem inventis.

auctore Helmstadii



HELMSTADII
LITERIS VIDVÆ P. D. SCHNORRII ACAD. TYPOGR.
M D C C L X X X I I I.